

vigore revocatur. Fracturam vero ligamen astringit, cum culpam disciplina deprimit: ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc distinctionis severitas non coarctat.

Sed saepe deterius frangitur, cum fractura incaute colligatur, ita ut gravius scissuram sentiat, si hanc immoderatus ligamenta constringant. Unde necesse est, ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtio ipsa moderetur: quatenus sic jura disciplinae contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est, ut Rectorem subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina. Atque inter haec sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam sicut in libris Moralibus jam diximus, disciplina vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse Rectoribus debet et juste consulens misericordia et pie saeviens disciplina. Hinc namque est, quod docente Veritate, per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, et vinum atque oleum vulneribus ejus adhibetur: ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur sananda. Necesse quippe est, ut quisquis sanandis vulneribus praeest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utroque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Quod juxta Pauli vocem bene illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna est: quia cum Scripturae sacrae scientia in boni Rectoris pectore, si est virga distinctionis, sit et manna dulcedinis. Hinc David ait: virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgae quae feriat, sit et consolatio baculi quae sustentet. Sit itaque amor, sed